THESES EX UNIVERSA THEOLOGIA QUAE IN REGIENSI COLLEGIO S. I...

Collegio della Società di Gesù

THESES

EX UNIVERSA THEOLOGIA

QUAE

IN REGIENSI COLLEGIO S. I.

PROPUGNABUNTUR

VI. KALENDAS IULIAS

ANNO MDCCCLV.

Facta cuilibet mane pro lubito
Vespere a tertio arguendi potestate.

Regii, ex Officina Vincentiana.

THESES

EX UNIVERSA THEOLOGIA

DE VERA RELIGIONE

I.

Possibilem esse divinam revelationem cum immediatam, ut aiunt, tum mediatam irrito prorsus conatu inficiantur increduli.

II.

Revelationem autem huiusmodi non modo homini consentaneam esse atque utilissimam, verum etiam moraliter necessariam ex eo luculenter probatur, quod universae ubique gentes revelatione destitutae a vero Dei cultu bonisque moribus perpetuo desciverint, et ratio humana sibi relicta impar fuerit, quae huic teterrimae conditioni suppetiarum satis afferret.

III.

Nec propterea est cur increduli ac nostri aevi rationalistae, nativae humanae rationis indoli vim inferri conclament, adeoque divinam revelationem ceu noxiam atque humanae dignitati indecoram expungere velint.

IV.

Ut divina revelatio hominibus ea qua par est certitudine probetur, quibusdam notis ac tesseris instructa sit oportet, queis facile ab hominum fraude secerni queat. Hisce porro accensemus imprimis miracula, quorum tum possibilitatem tum efficaciam vindicandam suscipimus.

V.

Alteram aeque certissimam divinae revelationis notam constituit prophetia eventu comprobata.

VI.

Quum vero Christus miraculis et vaticiniis divinam sui missionem doctrinamque comprobaverit, iure merito inferimus iamdiu datam fuisse hominibus divinam et supernaturalem revelationem.

DE ECCLESIA CHRISTI

VII.

Quod Christus in mundum invexit coeleste revelationis donum, illud non fortunae temporumque vicibus obnoxium reliquit, sed Ecclesiae a se institutae commisit in sua integritate custodiendum usque ad consummationem saeculi.

VIII.

Utque iugiter posset acceptum semel evangelicum verbum sanctissime custodire, eximia infallibilitatis praerogativa illam ditavit.

IX.

Quapropter Ecclesiae magisterium, ex quo proxime oritur, ut a veritate aliena numquam sit vel esse queat doctrina, quam integer Christianorum coetus corde credit et ore profitetur, neque subiacet neque potest errori subiacere.

X.

Nedum infallibilitas ecclesiastici magisterii ad universam se porrigit revelationem christianam, sed ipsa quoque complectitur iudicia, quae de orthodoxia vel heterodoxia feruntur textuum humanorum.

XI.

Iure itaque quam qui optimo Ecclesia hanc iudicii infallibilitatem sibi numquam non vindicavit.

XII.

Nec Iansenianos iuvat controversia de tribus capitulis: haec enim quin evertat, luculenter statuit infallibilitatem magisterii Ecclesiae in diiudicandis factis dogmaticis.

XIII.

Quum vera Ecclesia ea sit, quam Christus instituit suisque promissionibus munivit, plane constat illam conspicuam esse atque visibilem.

XIV.

Et quemadmodum hactenus numquam desiit, ita deinceps futurum numquam est, ut desinat atque deficiat.

XV.

Nullius vero momenti existimari debent quae Protestantes ad negandam Ecclesiae perennitatem sive ex divinis litteris, sive ex persecutionum, schismatum arianaeque haereseos historia proferre consueverunt.

XVI.

Ecclesia Christi visibilis ac perennis quoad *corpus* omnibus Christi fidelibus perfectis iuxta atque imperfectis, neque imperfectis modo, verum etiam malis improbisque coalescit.

XVII.

Licet autem *finaliter* omnibus et solis ad gloriam electis constet Ecclesia, falsum nihilominus est ad eiusdem *animam* omnes et solos praedestinatos proprie ac immediate pertinere; ad hanc enim primo et praecipue iusti, altero autem veluti gradu ii spectant omnes, qui interiori aliquo gratiae dono potiuntur.

XVIII.

Adultis qui vel Ecclesiae suo utique vitio non sese adiungunt, vel ab ipsa rebelles abscedunt, nusquam patere aditus ad salutem potest. Merito proinde aiebat Lactantius lib. IV. de vera sapientia c. XXX. Ecclesia *est fons veritatis, domicilium fidei, templum Dei: quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit a spe vitae ac salutis aeternae alienus est.*

XIX.

Quum vero procul ab Ecclesia nulla sit salus expectanda, suapte sponte consequitur Christum velle debuisse, ut quibusdam notis ipsa affulgeret, per quas ab omnibus eam inquirentibus certo posset cognosci, atque ab iis societatibus secerni quae iniuria christiano nomine gloriantur. Non sunt tamen

huiuscemodi notae, quas adstruunt Protestantes, sincera scilicet verbi Dei praedicatio et legitimus Sacramentorum usus.

XX.

Princeps Ecclesiae nota est conspicua *unitas,* qua una est domus, unum regnum, unum ovile, una societas in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et charitatis assurgens, quaeque proxime dimanat ex una *petra* super quam Christus eam superstruxit, ex uno supremo *principe, pastore* et *capite,* quod auctoritate a Christo accepta eam regit et moderatur.

XXI.

Praefulget secundo *sanctitate,* quae se prodit tum eximia christianarum virtutum cultura, tum supernis charismatis quibus ad consummationem usque saeculi eminere debet.

XXII.

Praefulget etiam splendido charactere, quo est diciturque *catholica,* id est eiusmodi, quae omnia tempora complectatur, quaeque communione contineatur *simpliciter* ampla; *comparate* vero longe ampliori coetu quovis christiano, qui sibi Ecclesiae nomen immerito usurpet.

XXIII.

Altera demum praeclarissima nota ea est, qua Ecclesiam *apostolicam* confitemur, atque adeo talem, quae ab Apostolis profecta, cum Apostolis rursum interrupta numquam pastorum successione coniungitur.

XXIV.

Iam vero nullus est christianus coetus a *Romano-Catholico* communione divulsus, qui iisdem notis, uti necesse est ac sufficit, insignis appareat.

XXV.

Uni autem communioni *Romano-Catholicae* reipsa competunt: hanc unam igitur utpote veram Christi Ecclesiam agnoscimus et veneramur.

DE ROMANO PONTIFICE

XXVI.

Christus Ecclesiae suae Petrum ceu caput praefecit, eique non nudi honoris ordinisque primatum contulit, sed potissimum iurisdictionis. Quod evincunt imprimis luculentissima Christi Domini promissa, quae habentur Matth. XVI. 17-20.

XXVII.

Praeposterae porro sunt Protestantium interpretationes, quibus vocem πετραν nonnisi de Christo ipso, vel de fide et professione Petri accipiendam esse decernunt, nativa verborum significatione repugnante pariter ac vetustissimorum Patrum consensu.

XXVIII.

Ad primatum Petri stabiliendum et ad eiusdem indolem rationemque patefaciendam conducunt etiam, quae habentur Lucae XXII. 31-32; eo siquidem loci invicta Petro promittitur fides; munus ei committitur confirmandi in fide fratres, scilicet *immediate* Apostolos, *mediate* vero fideles omnes; ac proinde Petri fides velut infallibilis et suprema norma constituitur evangelicae veritatis.

XXIX.

Eodem pertinent Christi verba, quae leguntur Jo. XXI. 15-18. Ibi enim Christus unum alloquitur Petrum, illi gregem suum universum pascendum committit, eumque supremo iure Pastoris Doctorisque oecumenici insignit.

XXX.

Frustra Protestantes tum ex eo quod Paulus hierarchiam describens I. Cor. XII. 28. et Eph. IV. 11. de principe dignitate Petri alte sileat, tum etiam ex eo quod idem Paulus Cepham reprehenderit, eique in faciem restiterit, ut legitur Gal. II. 11-14, primatum Petri labefactare nituntur.

XXXI.

Doctrina hactenus constabilita de indole rationeque propria Petri primatus Richerii, Febronii, Dupinii aliorumque pseudocatholicorum systema plane subvertit.

XXXII.

Neque vero eis suffragatur, quod Patrum nonnulli asserant gessisse Petrum figuram atque personam Ecclesiae, quum promissionem primatus eiusdemque collationem a Christo Domino accepit: siquidem huiuscemodi interpretatio non eo tendit ut adstruat Ecclesiam, non vero Petrum esse ***subiectum immediatum*** supremae auctoritatis.

XXXIII.

Primatus institutione eo spectavit Christus, ut Ecclesiae suae per universum orbem aedificandae visibili unitati perennique firmitati consuleret: voluit propterea eumdem primatum non minus quam ipsam Ecclesiam ad consummationem usque saeculi iugiter esse duraturum.

XXXIV.

Viget ergo B. Petri primatus; et indubitata Ecclesiae traditio atque ipsa successionis ratio suadent illum inesse Romano Pontifici, qui eodem potitur iure divino.

XXXV.

Per summum autem nefas, ut primatum Romanis Pontificibus eripiant, nonnulli e Protestantium grege post Marsilium Patavinum contendunt Beatum Petrum Romam numquam venisse, episcopalem sedem illic non posuisse, nec proinde Romae ex hac vita decessisse.

XXXVI.

Operam etiam ludunt adversarii, quum praeeminentiam Romanae sedis ex humanis dumtaxat caussis repetendam esse propugnant.

XXXVII.

Quum Romanus Pontifex in primatu, atque in omnibus primatus iuribus Petro succedat, sponte sua fluit, tanta esse praeditum auctoritate, ut sit et credatur *Pastor pastorum, Catholicaeque Ecclesiae Episcopus oecumenicus. Tu es,* scribebat Bernardus de Consider. lib. II. c. VIII. n.° 15. alloquens Eugenium Pontificem huius nominis tertium, *Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli ianitores, et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et*

differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni omnes. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor.

XXXVIII.

Hinc ratio peti debet, cur a primis Ecclesiae saeculis perpetua extiterit consuetudo referendi ad unum Romanum Pontificem maiores difficilioresque caussas, et cur Romanus Pontifex ubique locorum suam exercuerit supremam auctoritatem.

XXXIX.

Falsum omnino est ius recipiendi appellationes factum primitus fuisse Romanis Pontificibus a Patribus Sardicensibus. Qui gravissimus error ex eo etiam convincitur, quod non pauca appellationum ad romanam sedem exempla suppetant ipso Sardicensi concilio vetustiora.

XL.

Inter ceteras primatus praerogativas, in quibus Romani Pontifices Petro succedunt, commemoranda venit et infallibilitas, qua iidem potiuntur, dum controversias ad fidem et mores spectantes ex cathedra definiunt; quaeque caussa est, cur dogmatica illorum decreta prius etiam, quam Ecclesiae consensus accedat, sint prorsus irreformabilia.

XLI.

Huic vero Pontificiae inerrantiae non Scripturae tantum et Patrum traditio suffragantur, verum etiam veteres plerique e Gallicana ecclesia theologi.

XLII.

Neutiquam vero adsertae Romanis Pontificibus infallibilitati repugnat factum Liberii, quem adversarii in arianam haeresim lapsum esse perperam effingunt.

XLIII.

Falso item pontificiae infallibilitatis osores Honorium accusant haereseos Monothelitarum. Hinc ad ipsam quaestionem facti quod attinet, caussa cadant necesse est: quoad Zephyrinum enim, Marcellinum, Zosimum, Bonifacium IX, Innocentium VIII,

Alexandrum VI. aliosque olim corruptae fidei insimulatos Pontifices iamdiu manus victas dedere.

DE DEO UNO

XLIV.

Existere supremum Ens, quod, quum suae existentiae rationem in seipso contineat, necessarium sit atque infinitum, tum ex perspecta rerum contingentium existentia, tum ex universali gentium consensu luculentissime constat.

XLV.

Fieri nequit, ut qui pleno rationis usu praeditus sit, invincibiliter saltem ad longum tempus supremi Numinis existentiam ignoret.

XLVI.

Dei autem ea est natura, ut multiplicari non possit, adeoque recte aiebat Tertullianus lib. I. adv. Marcionem c. III. *Deus si non unus est, non est.*

XLVII.

In numericam Dei unitatem maiestatemque iniqui fuerunt ethnici, quippe qui vel polytheismo proprie dicto, vel idololatrico cultu absoluto, vel utroque simul sese commacularunt.

XLVIII.

Dualistarum systema ad malorum originem explicandam excogitatum et absurditatibus scatens et proposito scopo impar evincitur.

XLIX.

Ex omnibus nominibus, ait sapienter Damascenus de orthod. fide lib. I. cap. IX. n.° 2. *quae Deo tribuuntur, nullum aeque proprium videtur atque ὁ ὢν qui est*. Hanc quippe appellationem et reliquis praestare, et ad significandam divinam naturam esse omnium accommodatissimam, quum Scripturae tum Patres concordi suffragio persuadent.

L.

Atqui nomen *qui est* nedum immensum innuit, nullisque terminis definitum divinae essentiae pelagus, verum etiam

notionem hypostaseos singularitatisque complectitur. Itaque vel ex hoc sequitur, Deum ab rerum universitate omnino secerni, et Pantheismum cuiusvis sit formae turpissime Dei notionem depravare.

LI.

Sane Infiniti notio id sibi unum adsciscit, ut tantae perfectionis sit, quae augescere ulterius nequeat, atque adeo omnimodam ac supereminentem simplicissimae realitatis plenitudinem in se contineat: minime vero ut, quaecumque realitas concipiatur, eam sibi ita vindicet, ut nihil prorsus extra illud extare possit.

LII.

Ex hisce porro non sequitur creaturarum perfectionibus Deum omnino destitui: quidquid enim perfectionis rebus creatis inest, et Deo inesse intelligimus; non uno tamen eodemque modo, sed pro perfectionum varietate alio atque diverso.

LIII.

Id vero non officit, quin Deo omnimoda vindicanda sit et absoluta simplicitas.

LIV.

Quamvis nefas sit affirmare vel divinam essentiam ab eius proprietatibus sive absolutis sive relativis, vel proprietates absolutas a se invicem realiter distingui, turpiter tamen cum Aëtio et Eunomio a veritate aberraret, qui neque naturam divinam inter eiusque attributa tum absoluta tum relativa, neque inter ipsa attributa absoluta eum distinctionis modum admitteret, quem Patres κατα επινοιαν nuncuparunt.

LV.

Divinam simplicitatem non imminuit realis personarum distinctio; imo vero efficit, ut ea splendidius eniteat.

LVI.

Deus intrinseca immutabilitate gaudet, sed quae neutiquam tollit nativam ipsius libertatem, imo cum eadem perfecte cohaeret.

LVII.

Deus immensus est, rebusque omnibus atque locis intime praesens.

LVIII.

Idem aeternitate fruitur, quae principio, fine atque omnis successionis fluxu plane sit expers.

LIX.

Inest praeterea Deo veri nominis scientia, eaque simplex, immutabilis, infinita, quae efficax quoque censenda est et caussa rerum.

LX.

Scientiae divinae potissimum atque adaequatum obiectum est ipse Deus: cetera vero omnia perfecte distincteque cognoscit sive possibilia illa sint, sive praeterita aut praesentia aut quandocumque futura, tum quae necessaria sunt, tum quae contingentia et libera.

LXI.

Praescientia tamen huiusmodi certa licet et infallibilis non adimit aut minuit liberum humanae voluntatis arbitrium.

LXII.

Demum eo usque se porrigit divinae mentis acies, ut ipsa futura libera conditionata cognitione plane certissima attingat.

LXIII.

Divina voluntas recte tribuitur in antecedentem et consequentem: quoad priorem vero contendimus eam esse sincerum, operosum atque ex amore et misericordia dimanans propositum, quo Deus vult in Christo totius humanitatis etiam lapsae reparationem atque salutem.

LXIV.

Neque ab amplitudine salutiferae et actuosae huius voluntatis, qua Deus quantum ex seipso est singulos homines perditae humanitatis ambitu contentos ab absoluta pereundi necessitate liberat, arcendi videntur infantes e vivis abrepti nondum expiati regenerationis lavacro.

LXV.

Dari in Deo providentiam, quae ad omnia et singula sese extendat, nemo sanus inficiari potest. Iure proinde Clemens Alexandrinus Stromat. l. vi. *constat iam*, inquit, *supplicium magis quam confutationem mereri illum omnem, qui providentiam esse non putat.*

LXVI.

A divina providentia seiungi nequit veri nominis praedestinatio, quam contendimus esse in Deo certam atque omnino immutabilem.

LXVII.

Scripturis et christiana traditione edocemur praedestinationem ad gloriam referri oportere ad divinam voluntatem consequentem, apteque dici *praedestinationem propositumque secundum praescientiam; propositum* quidem, illudque sempiternum ac immutabile impertiendae salutis, reddendaeque coronae; *propositum* vero *secundum praescientiam*, quia non alios ad salutem et coronam elegit Deus, nisi quos legitime certaturos praesensit.

LXVIII.

Iisdem fidei regulis edocemur non alium reprobationis modum esse admittendum, nisi qui in eo situs sit, ut ii omnes ac soli ab aeterno reiecti damnatique credantur, quos Deus ab aeterno suis ingratos beneficiis, suaeque misericordiae superbos contemptores praeviderit.

LXIX.

Quapropter teterrimum Calvinianum dogma diris vovemus, quo asseritur Deum ex solo suo beneplacito et ante omnem peccati praescientiam certos aliquos homines sempiternis destinasse suppliciis.

DE DEO TRINO

LXX.

Tres esse in una divina essentia personas realiter inter se distinctas cum catholica Ecclesia profitemur. Id vero imprimis plura sacrarum Scripturarum testimonia luculenter evincunt.

184

LXXI.

Peculiare vero argumentum suppeditant verba, quae leguntur I. Jo. v. 7. cuius quidem commatis γνησιοτητα biblica Michaëlis praesertim ac Griesbachii molimina hactenus non potuerunt subvertere.

LXXII.

Eamdem demum veritatem confirmat perpetuus sensus traditionalis Ecclesiae.

LXXIII.

Nil vero aliud quam suam inexpletam cavillandi libidinem probant haeretici praesertim Sociniani, dum perpetuis paralogismis et sophisticis captionibus ad elevandam Trinitatis fidem quaquaversum grassantur, quasi nempe ex humana sapientia et creaturarum conditione dimetienda esset conditoris essentia.

LXXIV.

Insignis itidem temeritatis documentum ostendunt Lutherus atque Calvinus caussantes antiquam et apud catholicos omnes receptam precandi formulam *Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis.*

LXXV.

Verbum vere ac proprie Deus est, Deique Filius Patri consubstantialis.

LXXVI.

Quae autem fides circa Verbi divinitatem in Nicoena synodo solemniter sancita est, eamdemque antenicaenis etiam Patribus perpetuo stetisse constat.

LXXVII.

Mirum in modum mentiuntur Unitarii cum Nicaenos Patres tritheismi audacter insimulant, vocemque ομοουσιον uti novam, ambiguam et errore implicatam carpunt: siquidem non dubiae significationis aut recens excogitatum vocabulum adhibuere sanctissimi illi Patres, sed opportunum imprimis, perspicuum et iamdiu in Ecclesia usurpatum.

LXXVIII.

Inscite itidem et contra rei veritatem Curcellaeus et Clericus in Nicaenos Patres animadvertunt quasi pro orthodoxae

fidei tessera eam dicendi formam susceperint, quam longe ante Antiochena synodus adversus Paulum Samosatenum ceu blasphemam reiecerat.

LXXIX.

Spiritui Sancto cum sacrae litterae tum tota traditio veram ac proprii nominis divinitatem adiudicant.

LXXX.

Divinae Trinitatis hypostases ob naturae identitatem sibi mutuo et ουσιωδει inexistunt ac περιχωρησεως nexu secum invicem devinctae cohaerent.

LXXXI.

Duae agnoscendae sunt in Deo *processiones* immanentes, substantiales, necessariae, aeternae et cuiusvis imperfectionis expertes.

LXXXII.

Filius a solo Patre procedit per aeternam, veram proprieque dictam generationem.

LXXXIII.

Vehementer autem catholicae veritati repugnant Calviniani contendentes Verbum αυτοθεον esse eo sensu, quod habeat quidem a Patre ut sit Dei filius, ast non item ut sit Deus.

LXXXIV.

Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere sacrae litterae evidenter ostendunt.

LXXXV.

Hoc catholicae fidei dogma nedum latini Patres universi, sed et graecorum bene multi disertis verbis professi sunt, ita ut Photianorum tergiversationibus id audacter detrectantium locus esse nequeat.

LXXXVI.

Hinc oppido liquet additamentum *Filioque* non modo non adversari dogmati fidei, sed illud potius determinare maxime ac confirmare. Iniurii propterea in latinam Ecclesiam habendi sunt graeci, qui eam corrupti symboli praefracte incusare non erubescunt.

LXXXVII.

Tametsi veteres Ecclesiae Patres aliquando pronuntiaverint temeritatis esse vel in disputationem adducere, quae sit intima ratio propter quam Spiritus Sancti processio minime dicenda generatio sit; ipsis tamen auctoribus ex eo repetenda esse videtur, quod Spiritus Sanctus ex vi et nativa conditione originis suae non hoc obtineat, ut imago sit seu expressa similitudo eius a quo procedit.

LXXXVIII.

Principium *quo* divinarum processionum iuxta germanam Patrum doctrinam neque in divina essentia neque in relationibus ipsis collocandum esse censemus, sed in intellectu et voluntate non quidem *essentialiter,* sed *notionaliter,* ut aiunt, acceptis.

LXXXIX.

Quatuor numerantur in Deo relationes originis reales, quae, qua ad invicem oppositionem dicunt, realiter, qua vero disparatae sunt, virtualiter tantum distinguuntur.

DE DEO CREATORE

XC.

Quum duos veluti mundos, ut disserit Basilius Hom. I. in Hexaem. omnipotentis Dei dextera e nihilo excitarit, intelligibilem unum, materiatum alterum; ordinis ratio postulat, ut a digniori illo exordiamur, quem longe ante hanc adspectabilem rerum universitatem extitisse docuerunt Patres. Asserimus igitur imprimis tum ex Scriptura tum ex traditione universa de Angelorum existentia evidenter constare.

XCI.

Angelos vero meros esse spiritus omnisque corporis expertes et sacrae Litterae insinuant, et Patrum traditio suadet, et ex Concil. Lateran. IV. cap. *Firmiter* certa argumentatione conficitur.

XCII.

Dogma catholicum est Scripturae et Patrum traditione firmatum Angelos in hominum custodiam deputari. Hinc scribere

non dubitavit Bernardus Serm. XII. in Ps. XC. *Si fidem consulas, ea tibi angelicam probat praesentiam non deesse.*

XCIII.

Ex revelatione etiam constat non omnes Angelos in accepta a Deo gratia perseverasse: eorum enim plerique suum deseruerunt principatum per gravem Dei offensam.

XCIV.

Inter omnes tamen non convenit in assignanda culpa peculiari, qua sese reos mali isti spiritus effecerunt, sed verosimilior Augustini et Angelici Doctoris videtur sententia sacris eloquiis innixa eos superbia atque invidentia peccasse, quaecumque demum fuerit utriusque caussa et origo.

XCV.

Explorata autem res est post admissum quodcumque et qualecumque peccatum promerita poena refractarios hosce spiritus fuisse mulctatos, et a coelestibus sedibus, quas obtinebant, eiectos.

XCVI.

His tamen poenis minime fracti nil non moliuntur superbi ac invidi spiritus ut hominibus noceant: constat enim daemones Deo permittente identidem invadere homines atque obsidere.

XCVII.

De spectabili mundi huius origine iam disserentes eorum imprimis reiicimus insaniam, qui Deo tamquam fabro caementa ad aedificandum, materiam parant sempiternam; siquidem mundum e nihilo et in tempore ad existendum Deo volente sacrae Litterae prodiisse docent.

XCVIII.

Nihil evincitur ex geologicis, physicis et astronomicis observationibus, quo mosaica cosmogonia queat infirmari.

XCIX.

Frustra autem increduli concharum, fossilium aliarumque marinarum exuviarum dispersionem opponunt: licet enim

daremus hasce antiquissimi aevi reliquias, montium structuram et dispositionem, totius denique terraquei globi intimam constructionem tale temporis spatium supponere, quod intra angustam sex circiter millium annorum periodum contineri non possit; nil tamen inde conficerent, quum mosaica cosmogonia ab hominis tantum exordiis sumat initium.

C.

Quum autem nil vetet, quin in supputatione temporis, quod hominis creationem praecessit, a communiori sex dierum expositione abscedamus; etsi a geologis probaretur ipsorum demonstrationes minime dubias cum magis obvia interpretatione componi non posse, nihil adeo proficerent, quo veritatem mosaicae narrationis subverterent.

CI.

Sed neque ad humani generis antiquitatem quod attinet sive res gestas sive historica monumenta hactenus in medium proferre valuerunt increduli, quae humanum genus epocha a Mose statuta antiquius evincant.

CII.

Sane quae adversus biblicam veritatem sive ex astronomicis Chaldaeorum, Indorum, et Sinensium observationibus, sive ex Aegyptiacorum regum chronotaxi prolata sunt, aut fabulosa aut incerta esse probantur. Tentyrae porro ac Latopolis zodiaci, quin mosaicam historiam falsitatis arguant, eos potius qui eorumdem antiquitatem tantopere extulere malae fidei aut ignorantiae convincunt.

CIII.

Non alia hominis origo admittenda est praeter eam, quam Moses exhibet Gen. I. et II.

CIV.

Ab uno primo homine immediate a Deo condito, videlicet Adam, universum genus humanum propagatum est.

CV.

Neque vero audiendi sunt, qui homines praeadamitas ex perperam intellectis quibusdam Scripturarum locis admittendos esse contendunt.

CVI.

Sed neque diacriticae notae, quibus humana familia in multiplices varietates dispescitur, eae sunt, quae diversas identidem species evincant: quas enim zoologica scientia adhuc infans difficultates pepererat, iam adulta dissolvit.

CVII.

Primus hominum parens in statu sanctitatis et iustitiae constitutus a Deo est: merito vero ab Ecclesia damnati sunt Pelagiani, Arminiani ac Sociniani contendentes nullo supernaturali dono protoparentem a Deo fuisse exornatum.

CVIII.

Una cum originali iustitia et sanctitate primi parentes eximiis tum animi tum corporis donis a divina bonitate aucti sunt.

CIX.

Eiusmodi vero dotes, videlicet gratia sanctificans, integritas et immortalitas non ex humanae naturae exigentia, sed ex gratuita Dei liberalitate protoparentibus fuerunt collatae; siquidem ingenitas naturae dotes facultatesque praetergrediuntur.

CX.

Sed iidem primi parentes in accepta originali iustitia diu non steterunt, et mandatum sibi a Deo factum violantes graviter deliquerunt.

CXI.

Hinc qua originaliter superindutus erat iustitiam sanctitatemque primus homo miserabiliter amisit, et totus secundum corpus et animam in deterius commutatus est.

CXII.

Insuper e sacris Bibliis habemus transgressionem istiusmodi non unum laesisse Adamum, sed genus hominum universum ab eo derivatum: in singulos quippe homines originalis noxa per naturalem generationem transfunditur.

CXIII.

AT VERO
A CETERORUM HOMINUM DAMNATIS PRIMORDIIS
INEFFABILIS DEI PROVIDENTIA
LONGISSIME SECRETAM VOLUIT
VIRGINIS ILLIUS CONCEPTIONEM
QUAM
REDEMPTURUS HUMANUM GENUS UNIGENITUS DEI FILIUS
SUBSTANTIALITER FACERE SIBI MATREM ELEGIT
SIQUIDEM DOCTRINA QUAE TENET
BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM
IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS
FUISSE
SINGULARI OMNIPOTENTIS DEI GRATIA
ET PRIVILEGIO
INTUITU MERITORUM CHRISTI IESU
SALVATORIS HUMANI GENERIS
AB OMNI ORIGINALIS CULPAE LABE
PRAESERVATAM IMMUNEM
EST A DEO REVELATA
ATQUE IDCIRCO
AB OMNIBUS FIDELIBUS FIRMITER
CONSTANTERQUE CREDENDA.

CXIV.

Doctrina, quae Ecclesiae catholicae propria semper fuit et ab apostolica praedicatione originem duxit, peccati originalis traducem pleno suffragio confirmat.

CXV.

Neque a perspecta Patribus omnibus sententia abscedere dicendus est S. Io. Chrysostomus, cuius hac in re orthodoxiam adversus Pelagianorum calumnias egregie tuitus est Augustinus.

CXVI.

Nulla porro ratione propagatio originalis peccati utut mysterii plena rectae rationis principia labefactare convincitur.

CXVII.

Tametsi per peccatum Adae quicumque ab eo progenerantur tum gratiae sanctificantis tum doni integritatis privatione mulctati fuerint, nullam tamen homo in essentialibus, quae vocant, naturae bonis iacturam est passus.

CXVIII.

Superest igitur in homine liberum arbitrium quamquam ex originali noxa attenuatum atque inclinatum, seu manet in statu naturae lapsae veri nominis libertas ad merendum vel demerendum necessaria.

CXIX.

Porro eiusmodi non est ea sola libertas quam nuncupant *a coactione*, uti per summum nefas comminiscitur Iansenius; sed ea potissimum qua meriti ratio viget atque demeriti, et dicitur *a necessitate*.

DE INCARNATIONE

CXX.

Tractationem de Deo Creatore proxime excipit Incarnationis dominicae οικονομια, ad cuius veritatem constabiliendam adversus neothericos biblicos illud primo asserimus Messiam aliquem fuisse a Deo in lege promissum et quovis tempore ab Hebraeis expectatum.

CXXI.

Hunc autem Messiam non vagum aut multiplicem esse contendimus, sed singularem et unicum; adeoque falsitatis arguitur Iudaeo-incredulus Salvador, qui Messiae nomine designari putat qualemcumque demum politicae libertatis assertorem, quique propterea et foeminam esse posse arbitratur.

CXXII.

Illud quoque principii loco praestituendum ducimus epocham adventus Messiae ex sacris Litteris certam esse, nec ullo rerum eventu posse retardari.

CXXIII.

Imo cum epocha adfuturi Messiae ex Iacobaeo oraculo quod legitur Gen. XL. IX. 10. definita sit, et aliunde constet quae inibi per voces שבט et מחקק designantur iam fuisse sublata, iure merito inferimus Messiam iamdiu advenisse.

CXXIV.

Ad quam veritatem comprobandam plurimum facit celeberrimum Danielis oraculum Cap. IX. eius prophetiae comprehensum, quod Messiae caedem eiusque tempus praenunciat.

CXXV.

Idipsum etiam colligere est ex oraculis Aggaei et Malachiae, quibus praedicitur stante adhuc Zorobabelico templo, pluribus ab hinc saeculis iam diruto, Messias adventurus.

CXXVI.

Demum Messiam venisse demonstrant διαγνωστικα signa a Prophetis praefinita, nempe abrogatus iampridem iudaicae religionis ritus, hebraici populi reprobatio, et evocatio gentium a superstitione ad verum Dei cultum.

CXXVII.

Ast hactenus recensita oracula invicte etiam evincunt, quem iamdiu advenisse constat Messiam, esse Iesum Nazarenum. Quod imprimis evincimus ex Iacobaeo vaticinio, in quo nomine *Iudae* tribum Iudae cognominem intelligimus, vocibus autem *Scebet et Mechokek* formae ipsius polititicae et iuris αυτονομου notiones subiicimus.

CXXVIII.

Evincimus secundo ex praenuntiatis a Daniele loc. cit. quae amussim congruunt in Christum Iesum, dummodo septuaginta hebdomadum initium repetatur, uti repetendum esse contendimus ab anno vigesimo regni Artaxersis Longimani.

CXXIX.

Demum in unum Iesum Nazarenum quadrare propugnamus, quae Aggaeus et Malachias de Messia praenuntiarunt, atque haec omnia ineluctabili argumento firmari ex vaticiniis et miraculis, quae ad suam divinam missionem comprobandam Iesus edidit, deducto.

CXXX.

Quibus miraculis aeque ac Prophetarum vaticiniis et illud probatur Iesum Nazarenum esse simul Deum et hominem, adeoque dubitari non posse de veritate mysterii dominicae Incarnationis, quod Sociniani et Rationalistae perperam inter αδυνατα amandandum esse decernunt.

CXXXI.

Toti Trinitati adscribi debet Incarnationis opus si *efficienter*, uni autem Dei Filio si *formaliter* consideretur; siquidem *solus Filius* (uti habet Professio fidei syn. tolet. IX.) *formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae: in id quod proprium est Filii, non quod commune est Trinitati.*

CXXXII.

Corpus autem assumptum non ludicrum aut umbratile fuit prout somniarunt gnostici, neque coelestiali materia delibutum, uti Apelles primum et recentiori aetate delirarunt Anabaptistae, sed reale, solidum et ex substantia Virginis Matris contextum: idemque ex se ac natura sua pertulit, quas graeci Patres *passiones naturales minimeque vituperandas appellant.*

CXXXIII.

Reiici autem debet ut putida haeresis Arianorum commentum statuens corpus Filii Dei fuisse αψυχον animique vices Verbum explesse.

CXXXIV.

Licet assumpta natura, quae *singularis* et *individua* credi debet, propriam habeat *existentiam* omnino distinctam ab existentia Verbi assumentis, *subsistendi* tamen modum ex se proprium non obtinet, sed in ipsa Verbi hypostasi semper substitit semperque subsistet.

CXXXV.

Haud tamen inde consequitur in Christo homine quidquam desiderari quod ad perfectionem humanae naturae pertineat: imo qua fide Christum Dominum Patri ομοουσιον credimus, eadem Christum hominem ομοουσιον esse nobis profiteri tenemur.

CXXXVI.

Huic vero Christi cum hominum genere ομοουσιοτητι non obest originis discrimen inde repetendum, quod eius conceptus et partus credi debeat supernaturalis, virgineus atque ab omni vel levissima peccati labe solutus.

CXXXVII.

Adversatur doctrinae orthodoxae de unitione utriusque naturae haeresis, quae Christum in duas hypostases distrahit. Hanc haeresim propugnavit Nestorius, adeoque merito Ephesina synodus quasi reum divisi Christi eum anathemate perculit.

CXXXVIII.

Unitio Verbi cum humana natura intima fuit et e qua unicum extitit subiectum Christus; quapropter recte a graecis latinisque Patribus post Cyrillum unio haec καθ' υποστασιν nuncupari consuevit.

CXXXIX.

Et quia hypostasis Verbi est ipsa divina *Filietas*, persona Christi etsi duas complectatur naturas una nihilominus est eaque divina.

CXL.

Germanae de incarnato Verbo doctrinae non minus repugnat monophysitarum error, qui ante unionem duas fuisse in Christo naturas admittit, post unionem vero unam factam esse contendit: dum e contra catholica veritas tuetur ita duas in

in Christum coaluisse naturas, ut in ipsa unitione et post unitionem inconfusae, impermixtae atque immutabiles permanserint.

CXLI.

Catholico dogmati iniqua pariter censenda est haeresis Monothelitarum, quae unicam in Christo voluntatem et operationem constituit.

CXLII.

Concursus utriusque naturae in unam divinam hypostasim Christum etiam qua hic homo est constituit Filium Dei non *adoptione* et *gratia*, sed *natura* et *veritate*.

CXLIII.

Huius arctissimae coniunctionis Dei Verbi cum humana natura corollarium alterum est Beatam Virginem vere proprieque dici et esse θεοτοκον.

CXLIV.

Ex eadem doctrina pariter fluit duas Christi naturas eo sese habitu excipere, qui a graecis Patribus περιχωρησις appellatur: et alterutram naturam *concrete* acceptam per idiomatum αντιδοσιν Ita participare quae sunt alterius, ut et sua et alterius singuiae possideant et ab ütrisque denominentur.

CXLV.

Verbum caro factum ut homines peccato perditos restitueret, tamquam sponsor debitum quo erga Dei iustitiam homines obstringebantur in se suscepit: tamquam victima pöenas hominum generi debitas ad iustitiae apicem sustulit: et tamquam sacerdos poenas pro hominibus susceptas aeterno Patri obtulit.

DE GRATIA CHRISTI

CXLVI.

Uberrimus divinae Incarnationis fructus gratia Salvatoris est, qua homo a daemonis servitute solutus in libertatem filiorum Dei vindicatur supernisque viribus instruitur, quibus a via mandatorum minime deflectens destinata tandem in coelis sempiterna beatitate potiatur. Porro acerrimi huius gratiae inimici

extiterunt Pelagiani in eo potissimum errantes, quod possibilitatem boni salutaris nativa arbitrii libertate a Deo creatore profecta contineri putarent, et supernaturale Dei auxilium eo tantum ex capite necessarium esse contenderent, ut facilius quod pium et sanctum est operari possemus, sed non omnino ut possemus.

CXLVII.

Pelagianae haeresi ex adverso pugnat catholica fides, quae ad omnes et singulos actus salutares interiorem Spiritus Sancti gratiam necessariam esse contendit.

CXLVIII.

Hallucinantur vero qui cum Rationalistis et Unitariis physicam interioris gratiae ad salutares actus necessitatem ut commentitium catholicorum inventum traducunt, aut temere hunc fidei articulum novitatis incusant, eiusque primum auctorem Augustinum faciunt.

CXLIX.

Inter actus salutares, quibus eliciendis homo sibimetipsi relictus impar omnino est, connumerari etiam debet initium fidei.

CL.

Idcirco a rectae fidei norma desciverunt Massilienses: exploratis enim compertisque veritatibus admunerari debet ad salutare quod attinet fidei initium negatam ab eis fuisse interioris ac praevenientis gratiae necessitatem.

CLI.

Sed neque potest homo sine speciali gratiae Dei privilegio integram cuiusvis omnino culpae universam ducere vitam.

CLII.

Speciali item gratiae Salvatoris auxilio reputari debet, quod homo iustificatus in accepta iustitia ad finem usque perseveret.

CLIII.

Attamen non ea est lapsi hominis conditio, ut absque coelestis gratiae adiutorio in nullum omnino opus ethica bonitate praeditum prorumpere queat.

CLIV.

Abnormis propterea et a catholica veritate omnino aliena est Novatorum sententia, contendentium ab homine nondum renato nil nisi damnatione dignum oriri posse, atque adeo omnia infidelium opera totidem esse peccata.

CLV.

Propugnatam hactenus salutaris boni impotentiam, qua homo gratia destitutus laborat, putat Iansenius unice et adaequate ex concupiscentia, quae effectus est originalis noxae, proficisci, non autem per se et natura sua creaturae conditionem comitari; sed talia decernens et a Patrum explorata doctrina dissentit, et secum ipse turpissime pugnat, quum alias doceat de grat. primi hominis et angel. c. x. *neque Angelos neque primum hominem ullo modo sine gratiae iuvantis adiutorio in veritate stare, hoc est in accepta iustitia perseverare potuisse.*

CLVI.

Quod si germanae Bibliorum doctrinae et Patrum traditioni innixi divinae gratiae naturam, indolem atque operationem rimari velimus haec tria oppido deprehendemus: 1.° nativum illi esse ut virtus sit ac potestas ad operandum sicuti oportet idonea; 2.° eo tendere ut voluntatem inclinet ad illud perficiendum absolvendumque quod in nobis sine nobis incepit: 3.° hoc tamen actu ipso non complere, nisi accedat voluntatis consensus: neque enim adaequata est ac totalis boni operis caussa, sed partialis dumtaxat, princeps licet ac multo alia nobilior.

CLVII.

Falso autem Augustino adscribitur, quod docuerit proprium esse ac διακριτικον gratiae Salvatoris characterem, ut individuo nexu cum opere copuletur.

CLVIII.

Hinc Augustini cum sententiae tum verbis repugnat Iansenius quum docet lib. II. de grat. Christi cap. V. ad medicinalem gratiam Christi nullo modo pertinere posse adiutorium, cuius usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur aut

non utatur, ut illud amplectatur aut deserat, ut illi consentiat aut non consentiat.

CLIX.

Si vero ea est gratiae natura, ut illi possit homo ex aequo resistere vel obtemperare, suapte sponte consequitur in statu naturae lapsae dari gratiam, quae sit vere sed mere sufficiens, quaeque nonnisi ob liberum voluntatis dissensum suo effectu frustretur.

CLX.

Insigni autem petulantia asserit Iansenius de gratia Christi Salv. l. II. cap. IX. defensam ab orthodoxis theologis sufficientem gratiam ne minimum quidem, si rei natura spectetur, a pelagiana boni possibilitate differre.

CLXI.

Quum Deus neminem deserat, nisi a quo deseratur, nec impossibilia praecipiat, credamus oportet iustis omnibus urgente praecepto gratiam vere ac relative sufficientem a Deo dari, qua, si velint, et legem servare et in accepta iustitia consistere possint.

CLXII.

Sed neque peccatoribus correctionis viam adimit Deus; effuso enim misericordiae sinu omnes compellat, ut ad se revertantur et vivant, eaque auxilia suggerit quibus ad rectum salutis tramitem sese recipere possint.

CLXIII.

Demum quum nemo dum in hac vita degit ab interiori Dei luce penitus secludatur, obduratis etiam et infidelibus salutis aditum Deo miserante patere arbitramur.

DE SACRAMENTIS

CLXIV.

Media quibus ex praestituta divinitus οικονομια charismata divinae gratiae potissimum in nos derivantur, et quibus propterea omnis vera iustitia incipit vel coepta augetur vel amissa reparatur, Sacramenta sunt a Christo Domino nostro instituta. Haec vero nec plura esse nec pauciora quam septem argumento ex praescriptione petito invictissime ostenditur.

CLXV.

Nullo autem pacto perspectissimae huic veritati officere potest, sive silentium antiquorum Patrum, sive quod penes Ambrosium, Bernardum et Arnoldum legere est de pedum ablutione.

CLXVI.

Quae Christus instituit Sacramenta non eiusmodi sunt, ut fidem tantum foveant et nutriant; sed continent etiam gratiam quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

CLXVII.

Hinc consequens est verba ex Christi praescripto in Sacramentis conficiendis adhibenda nec concionis nec merae promissionis esse, sed vere consecratoria.

CLXVIII.

Argumenta afferri solita ad probandum Sacramentorum efficaciam intra genus physicae operationis contineri apodictica prorsus non arbitramur: sententiam vero, qua eisdem moralis tantum caussalitatis ratio tribuitur, nil continere censemus, quod cum Bibliorum Traditionisque doctrina conciliari non possit.

CLXIX.

Sacramentorum Baptismatis, Confirmationis et Ordinis alter effectus est, quod characterem quoque seu spirituale quoddam ac indelebile signum in anima imprimant: ex quo fit, ut iterari non possint.

CLXX.

Verum ut suus constet Sacramentis valor non est in ministro necessaria fides: quapropter si ea sint ritu evangelico consecrata neque haeresi neque schismate irrita fiunt.

CLXXI.

Pariter rata censeri debent Sacramenta, quae minister conficit ac confert lethali noxa inquinatus, modo omnia essentialia praestet, quae ad Sacramentum conficiendum ant conferendum pertinent.

CLXXII.

Nulla e contra atque irrita sunt mimice et irrisorie collata sine intentione faciendi quod facit Ecclesia.

174

CLXXIII.

Remota Baptismi materia est aqua naturalis. Absurde autem sapiunt, quae in contrarium Gnostici, Archontici, Caiani, Manichaei, Seleuciani, Cathari aliique bene multi commenti sunt: a quibus non admodum ablusit Lutherus cum in Colloquiis symposiacis c. XVII. suam rogatus sententiam reposuit: *Quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizandum.*

CLXXIV.

Sed neque audiendi sunt graeci schismatici detrectantes veritatem doctrinae, quae de Baptismi sacramento in romana viget Ecclesia, docetque aeque valere sive per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem conferatur.

CLXXV.

Baptismi sacramentum consecrari tuemur expressa invocatione sanctissimae Trinitatis.

CLXXVI.

Nullo autem Bibliorum testimonio conficitur administratum aliquando fuisse Baptisma in unius Christi nomine, neque aliter sensisse convincuntur pictaviensis Hilarius, Basilius et Ambrosius.

CLXXVII.

Non ritibus atque caeremoniis, sed veris sacramentis accenseri debet Confirmatio.

CLXXVIII.

Eiusdem vero materia impositione manuum et chrismatis inunctione continetur.

CLXXIX.

Duo sunt elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum Eucharistiae sacramentum conficitur; non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse Ecclesiae auctoritate docti confitemur.

CLXXX.

Ad substantiam quod attinet sacramenti tantumdem est sive Eucharistia consecretur in azymo sive in fermentato; at unusquisque in alterutro iuxta suae ecclesiae vel occidentalis vel orientalis consuetudinem tenetur Eucharistiam conficere.

CLXXXI.

Scripturarum aeque ac traditionis ecclesiasticae auctoritas postulat, ut reiecto hydroparastatarum errore solum vinum de vite aptam esse Eucharistiae consecrandae materiam credamus.

CLXXXII.

Catholico dogmati de reali Christi praesentia in Eucharistia fidem plenissimam conciliant, quae capite Joannis VI. a commate 51 ad 59. usque leguntur: siquidem eo loci disertis verbis veram suam carnem in cibum verumque suum sanguinem in potum daturum se nobis Christus promisit.

CLXXXIII.

Eidem veritati adstipulantur institutionis verba a Christo usurpata, quae a nativa significatione ad fictitios et imaginarios tropos stulte Sacramentarii detorquent.

CLXXXIV.

Realem Christi praesentiam in Eucharistia denique evincunt innumera prope traditionis ecclesiasticae monumenta.

CLXXXV.

Nullum vero Sacramentariis suppetit argumentum, quo evincere queant veram Christi praesentiam in augustissimo Eucharistiae sacramento rectae rationi adversari.

CLXXXVI.

Mirabilem profecto ac singularem modum, quo Christus in Eucharistiae sacramento fit praesens, perquam apte et omnino ad rei veritatem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

CLXXXVII.

Non solum in usu quamdiu sumitur praesens adest Christus in Eucharistia, sed consecratione peracta ante etiam et post sumptionem.

CLXXXVIII.

Hinc sponte sua fluit Iesum Christum in Eucharistia externo quoque latriae cultu esse adorandum.

CLXXXIX.

Eucharistia non modo sacramentum est, sed praeterea veri nominis Sacrificii rationem complectitur.

CXC.

Veritatem Eucharistici Sacrificii abunde confirmant mira orientis et occidentis consensio, amplissima liturgica monumenta, diserta Patrum testimonia ac demum ipsa praescriptio.

CXCI.

Poenitentia vere et proprie sacramentum est pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum.

CXCII.

Unde in perspicuis est Poenitentiae sacramentum a baptismate omnino secerni, ac delirare Protestantes quum utrumque sacramentum a Scripturis pariter ac traditione abscedentes in unum confundunt.

CXCIII.

Sacramentalis confessio omnium et singulorum peccatorum mortalium, quae post baptismum admissa sunt, divinae institutionis est, et ad salutem assequendam necessaria.

CXCIV.

Mirum in modum Novatores abutuntur Nectarii facto, ut sacramentalem confessionem divino iure praescriptam esse negent.

CXCV.

Etsi minime necessaria, recta tamen est et salutaris peccatorum venialium frequens confessio.

CXCVI.

Ordo sive sacra ordinatio est vere ac proprie sacramentum a Christo Domino institutum.

CXCVII.

Est in novo Testamento Sacerdotium visibile et externum a Christo Iesu institutum non omnibus fidelibus commune, atque externo ritu, cui veri competit sacramenti ratio, in Ecclesia propagandum.

CXCVIII.

Praeterea in Ecclesia catholica et alii ordines sunt maiores ac minores, per quos veluti per quosdam gradus in Sacerdotium tenditur.

CXCIX.

Matrimonium in se spectatum, seu prout officium naturae est, nil prorsus habet quod inhonestatem aut labem vitiumque redoleat.

CC.

Idem vero gratia auctum et sacramenti obtinet dignitatem. Hinc recte Aug. de bono coniug. c. XVIII. *Bonum igitur nuptiarum*, ait, *per omnes gentes atque homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet etiam in sanctitate sacramenti.*